

in ipsum comitatum, nisi de voluntate et beneplacito dicti Azonis hoc procedat. Item contra civitatem Pergami aut singulares personas ipsius per nos aut submissam personam non fatiemus nec permittemus fieri aliquam novitatem pro aliquibus hinc retro occursis, et quod dictam civitatem Pergami et regentes eam permittemus in eo statu, in quo erant ante ipsas novitates, ipsis existentibus inantea fidelibus sacri imperii et nobis obedientibus fideliter et devote. Item quod debemus confirmare et de novo concedere Ribaldono et Calcino de Torniellis omnia privilegia hinc retro per nos eis concessa, hoc addito, quod in civitate et episcopatu Novarie non debemus facere aliquam novitatem pro aliquibus hinc retro occursis, ipsis remanentibus fidelibus imperii et nobis, sicut ante istas novitates erant. Econtra predictus Azo de Vicecomitibus tenetur nobis in capitulis infrascriptis: Primo quolibet mense, quam diu ad partes Alamanie non pervenerimus, tenetur nobis dare mille florenos auri generaliter, in quibuscumque partibus aliis preterquam in partibus Alamanie fuerimus constituti. Secondo a nobis quando fuerit requisitus, nobis existentibus extra Alamaniam, tenetur et debet nobis in subsidium mittere ducentos armatos Theotonicos equites suis expensis et comunis Mediolani, qui stipendiarii nostris mandatis stare debebunt et nobis sub expensis predictorum in omnibus obedire. Item ipse Azo debet et debebit omnes et quoscumque Theotonicos^a et Ytalicos sibi amicos habere, colere et promovere et prosequi bono zelo, qui contra eum fuerant et nobis astabant^b. Item idem debent et debebunt gaudere bonis, possessionibus et privilegiis suis, prout hactenus consueverunt, quibus per predicta non extitit derogatum. Item dictus Azo debet et tenetur contra quamcumque personam nobis rebellare volentem et rebellantem cum toto suo posse in omnibus fideliter adiuvere. Item nobis prestare debet ydoneam cautionem, prout de nostra processerit voluntate, quod contra illos, qui contra ipsum et patrem suum condamnati fuerunt, nullam faciat ulcionem nec eis aliquo modo adversetur nec impedimentum ipsis aliquod inferet vel gravamen pro iniuriis seu molestationibus sibi vel patri suo factis vel illatis¹.

a) 'theotoicos' Or. b) 'asta|bunt' Or.

1) Bei Corio a. a. O. folgt hier: 'Dat insuper nobis litteras sigillatas sigillo suo, quod predicta omnia attendet, rata habebit fideliter et devote'. Diese Urkunde liegt nun hier vor.